

imprimis in eadem epist. ad Ephes. c. V. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia, et veritate*: et 1. ad Thessalon. V. *Omnes vos filii lucis estis et filii diei, non sumus noctis neque tenebrarum. Quid vero luci et diei similis quam veritas? Quid tenebris et nocti quam mendacium? Jam si: Quis ambulaverit in die, ait Dominus, Joan. XI. non offendit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Idem prorsus evenit eis, qui dicuntur veritate, et qui mendaciis: hi enim offendunt, illi nequaquam. Qui noctu in tenebris ambulant, in alio impingunt, nemini honorem debitum deferre norunt, invenire domos nesciunt, in foveas incidunt, denique in perpetuo periculo perditionis sunt. Idipsum experimur, si alter alteri passim mentiri præsumeret. Quod igitur est sol in mundo, hoc est veritas in communitate. Quamobrem sapientissimus ille gentilium Moyses Pythagoras inter alia præcepta symbolica etiam hoc tradidit: *Contra solem non loquaris*, hoc est, contra veritatem, apud Erasm. chiliade 1. cent. 1. de symb. solem e mundo aufert qui aufert veritatem. Hinc etiam gentiles amare consuerunt veraces, tametsi ingrata loquentes: odisse e contra mendaces, licet blanda garrientes. Chosroas Persarum rex gentilis cum Apameam obsideret, interrogavit ejus urbis episcopum Thomam, an se videre in urbe cuperet. Cui episcopus: *Se nequaquam id desiderare; sed contrarium po-**

tius. Miratus est rex candorem ejus, et amore complexus est, Evagr. 1. IV. histor. eccles. Augustus etiam imper. cum Ægyptum sacerdotem Epaminondam, captum in triumphum duxisset, audissetque virum illum, veritatis amantissimum, nunquam alicujus mendacii fuisse deprehensum libertate eum donavit, et magnis decoravit muneribus. Contra Pamph. quemdam Romæ mortuum hominem, totum ex mendaciis compositum, qui nunquam vera dixisse perhibebatur, Claudius imp. jussit canibus et avibus objici insepultum, ædes quoque ejus dirui, bona fisco addici, uxorem et liberos procul deportari, Spartiano auct. Quid ergo putatis, a Deo expectent mendaces, si talem mercedem acceperunt ab hominibus, et quidem ethnicis? Audimus tremendam vocem Ps. VII. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, predes omnes, qui loquuntur mendacium*, q. d. cæteros quidem peccatores odit Deus, mendaces vero et perdet, quia nimirum et ipsi perdunt velut pestis remp. Audimus etiam Apocal. ult. tonantem in cælo vocem Christi: *Foris canes, et benefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium*. E contra de veracibus audimus Psal. XIV. suaviter canentem: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Hoc igitur agamus, si in Dei tabernaculo habitare desideramus.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

EVANGELIUM. JOANN. XVI.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbii locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbii loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos; quia vos me amatis, et credidistis, quia a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia seis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus quia a Deo existi.

CONCIONES.

- I. Incitamenta ad orandum.
- II. Cur velit rogari Deus.
- III. De utilitate et fructibus orationis.
- IV. Causæ cur interdum non audiantur preces nostræ a Deo.
- V. Circumstantiæ orationis.
- VI. Pro quibus potissimum sit orandum.
- VII. Causæ et remedia distractionum in orando.
- VIII. Fructus incarnationis et passionis Christi.

IX. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. Ratio exorandi Deum.
- II. Quid sit in nomine Christo orare.
- III. Quo potissimum tempore sit orandum.
- IV. Orationis potentia.
- V. Vita Christi similes cursui solis.

CONCIO I.

INCITAMENTA AD ORANDUM.

- I. Dignitas et præstantia orationis. — II. Necessitas. — III. Facilitas et qui orare nescit consideret. — IV. Utilitas. — V. Exemplum sanctorum.

THEMA.

Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.
Joann. XVI.

Solent hoc tempore, auditores, principes terræ ad bella procedere, ideoque nunc passim bellicæ tubæ personant, tympanaque perstreperunt, quibus conscribantur ad bellum et incitentur ad prælium milites. Nos ergo, qui non terrena regna, sed cælum expugnare quærimus, præfiosum istud tempus non decet otio perdere. Quare S. Ecclesia et ipsa his diebus prodit et campanis suis quasi bellicis tubis, solito magis perstreperit et vexilla crucis erigit, ut nos ad ea

convocet et ad pugnam spiritualem, quæ media oratione potissimum peragitur, excitet et armet: quo videlicet nos, dum alii pro terra pugnant, pro cælo dimicemus. Quare dum pugnat Josue, non desinat interim Moyses levare ad Deum manus (Exod. XVII.) cumque dies isti sint dies rogationum, videamus quæ ad hoc bellandi genus nos incitare debeant.

I. Dignitas et præstantia orationis. Nam primo, oratio Deum et totam cælestem curiam exhilarat et delectat. Hinc Apoc. V. orationes vocantur *odorama in phialis aureis*, quas coram Deo gestabant sancti in manibus. Et Apoc. VII. angelus accepit incensa de orationibus sanctorum, et obtulit coram Deo. Thymiana igitur suavissimum coram Deo sunt orationes; et sicut nares hominum recreantur odoram fragrantia, sic Deus et cælestis curia oratione sanctorum. Propterea etiam Deus in veteri lege præcepit sibi erigi altare thymiamatis, in quo

ad statis temporibus offerretur. Non sane quod odororum suffisu Deus delectetur, sed quia thymiamia typus orationis erat.

Secundo, angelos sibi amicos, familiares et presentes facit, quod S. Bern. VII. in Cant. ex variis Scripturæ locis ostendit, ut ex illo Psal. CXXXVII. *In conspectu angelorum psallam tibi*: et Ps LXVII. *Prævenierunt principes conjuncti psallentibus*, et ex dicto Raphaelis ad Tobiam, Tob. XII. *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationes tuas coram Domino*. Legimus etiam Act. X. Cornelio oranti astitisse angelum, qui eum hortabatur accersere Petrum et fidem ac baptismum ab eo recipere. Ut enim aulici comitantur eum, qui ad regem peroraturus venit, ita angeli orantes.

Tertio, hominem ad Deum ejusque colloquium elevat, ita ut coram eo effundere possit cor suum, petere quæ vult et miseras suas exponere: id quod a principibus mundi hujus sæpe obtineri nequit, et pro magno reputatur, cum quis ad audientiam principis admittitur. Quod si etiam ex conversatione cum viris principibus et sapientioribus illustratur, recreatur, accenditur et confirmatur, quanto magis ex colloquio et consortio Dei?

II. Necessitas: versamur enim in continuis periculis, et inter innumeros animæ et corporis hostes, a quibus sine Dei ope servari nequaquam possumus. Propter quod apostolus toties monet, ut orationi perpetuo intenti simus, uti 1. Thess. V. *Sine intermissione orate*: et ad Col. IV. *Orationi instate*. Primo enim, quis enumeret hostes et pericula, quæ interdum, quis ea quæ de nocte nobis imminet? Itaque jure merito, mane saltem et vespere Deus exorandus est a quovis Christiano: mane ut dirigat actiones diurnas, vespere ut nocturnas. Sic præbit nobis quemadmodum Hebræis in hoc periculoso vitæ itinere columna nubis per diem, et columna ignis per noctem.

Secundo, quis enumeret errata nostra, quæ quotidie diu nocteque committimus? Quotidie ergo orandus Deus, ut dimittat nobis debita nostra. Sic reddemus Deo, quod olim exegit ab Hebræis jure sacrificium, agnum scilicet mane, et rursum alium vespere quotidie immolandum. (Num. XXVIII.) quo placemus Deum toties offensum, de die et de nocte.

Tertio, quis recenseat quantis rebus quotidie indigeamus ad animæ et corporis sustentationem, quas nisi a solo Deo non possumus obtinere? Inter alia quam plurima indigemus terræ frugibus, quæ circa istud tempus maxime periclitantur. Indigemus Dei auxilio, ne frugibus illis, et hujus temporis amenitate abutamur ad sum et voluptatem. Indigemus viribus et vic-

toria contra hostes Ecclesiæ et patriæ, qui hoc maxime tempore ad bella solent procedere. Indigemus Dei præsidio, quo præservemur a tempestatibus et fulminibus, quæ sæp. incautos enecant. Indigemus Dei benedictione ad valetudinem tuendam, quæ primis terræ et arborum frugibus communiter lædi solet, ita ut pestes et omnis generis morbi ab iis generentur. Et propterea Ecclesia hoc potissimum tempore instituit supplicationes, in quibus inter alia precatur: *A fulgure et tempestate libera nos, Domine*: item: *Ut inimicos S. Ecclesiæ humiliare digneris: ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris: ut fructus terræ dare et conservare digneris: te rogamus audi nos*.

III. Facilitas ejusdem. Primo enim, inter opera mortificationis facillimum est oratio; quam sine gravi difficultate semper, et ubique in promptu habere possumus. Unde dicebat David, Psalm. XLI. *Apud me oratio Deo vitæ meæ; dicam Deo: Susceptor meus es, q. d. semper gero mecum ad instar testudinis domum orationis meæ, in quam me recipio tentationis tempore, et ad Deum confugio*. Unde S. Bern. serm. V. in quadr. ait: *Rogo vos fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium*. Dicere aliquis poterit: Eleemosynas dare nequeo, quia dives non sum: jejunare et corpus affligere non possum, quia robustus non sum: sed non potest dicere: Orare non possum. Potest enim quisque vel unico desiderio præsentare Deo necessitatem suam, quia: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*, Psalm. IX.

Secundo, Deus ad audiendam orationem semper, et ubique est paratissimus. Certe si semel quovis mense tempus postulandi nobis constituisset, magnæ ipsi adhuc agendæ forent gratiæ. Solemus enim laudare principes illos, qui semel in hebdomade aut mense saltem dant omnibus audientiam. Quid ergo nos facere par est, quando hoc beneficium Deus exhibet omni tempore? Non fastidit nostrum reditum, nec sæpe repetitas preces (quod facere solent homines, qui sæpius adjutos tandem ope destituunt) quia: *Dives est in omnes, qui invocant illum*; (Rom. X. imo ut petamus instigat, et hortatur nos ipsemet toties in evangelio, et allicit nos muneribus quæ petentibus promittit.

Tertio, homo miser, et afflictus omnibusque bonis destitutus nequaquam grave sibi ducit aliorum opem implorare, imo hoc unicum remedium et solatium miseriæ suæ habet, et avidissime arripit. Quam instantanter et ferventer orant qui jactantur in maris tempestatibus? Hinc enim dici solet: *Qui nescit orare, eat ad mare*. Et quid facit, qui naufragium passus, omnia sua perdit? An forte erubescit, aut detrectat

cladem suam recensere et aliorum opem implorare? Minime sane, imo hoc ultimum ejus refugium et solatium est, sua calamitate et imploratione permovere alios ad compatiendum.

Itaque qui orare nescit, consideret imprimis, quantas miseras incurrit per naufragium peccati originalis: perpendat infirmitatem et nuditatem suam, qua velut pullus hirundinis in nidulo derelictus solius Dei opem expectat; constituat se ante Deum instar infantis, cæci, nudi, famelici, mendici, ab omnibus derelicti. Quanta patientia et submissione egenus præforibus divitis etiam frustillum panis præstolat? Quam serio, quam flebiliter panem emendicat? Sic componamus nos et ipsi ante ostium Dei.

Secundo, ineat secum rationem, quot annis vixerit, quam parum in illis profecerit, quam exiguum discrimen videat inter senem vel adultum se et juvenem, an proinde non merito audire debeat iudicium illius ficus, (Lucæ XIII.) quæ triennio expectata fructus nullos fecit, ideoque excindi jussa est? Cogitet cum Thaide illa pœnitente, indignum sese esse, qui proferat ore nomen Dei, dicens tantummodo: *Qui plasmasti me, miserere mei*.

Tertio, doleat, quod ad orandum tam tepidus et pertæsus sit, quodque in oratione tam aridus, distractus et indevotus, et hoc imputet peccatis suis, quibus huic siccitati et animi tumultibus causam dederit, ideoque jure plectatur virga illa, quam ipse sibi confecerit. Amplectatur ergo hanc pœnam cum submissione et proposito emendationis.

Quarto, desideret saltem magno affectu majorem in oratione devotionem: desideret eo affectu et spiritu orare, quo sanctissimi quique orarunt; idem velit, idem quærat, quod ipsi quæsierunt, quemadmodum fecit vir ille, de quo scribit Carthusianus quidam monachus, in tract. de communionem, incidisse illum in S. Ignatium Loyolam, ejusque socios aliquos in itinere Barcinonam contententes, rogasseque ut suam quisque sarcinulam ipsi ferendam traderet. Quod cum vix impetrasset, pergunt simul et hospitium subeunt, ubi singuli socii singulos sibi angulos orationi aptos quærent. Quod videns ille comes, sociorum factum æmulatus, lexis genibus et ipse ut potest orat. Resumpto itinere quærent ex eo socii, ecquidnam ipse fecerit in angulo suo latitans? Quibus ille: *Hoc solum*, inquit, *Domine Deus, viri isti sancti sunt, et ego jumentum ipsorum, quod ipsi volunt et quærent, hoc et ego*. Hæc, inquit, *oratio mea est: et præter hanc nihil*. Concludit vero monachus ille, virum illum perfecte spiritualem evasisse. Et quis nostrum simili modo nequeat orare?

Denique, conjungat et uniat orationem suam

cum oratione et meritis Christi, et hæc cum suis offerat. Quid hac re facilius? Et quid hac oratione utilius?

IV. Utilitas, de qua multa alibi dicta. Breviter nunc dico. Primo, orationem esse medium universale ad vitam animæ conservandam, simile calori stomachi naturali, cujus ope fit concoctio digestioque, membra vegetantur, totusque homo instauratur et conservatur: simili enim modo per orationem digeruntur omnia molesta et adversa, vegetantur vires ad exercendas operationes virtutum, ad resistendum contrariis vitiis, etc.

Secundo, est instrumentum universale ad quævis efficienda, sicut manus hominis totius corporis instrumentum est, aut proboscis elephantis, qua omnia illa facile agit, quæ homo agit manu. Laborat manus hominis ut totum corpus sustentetur, alatur, vestiatur, defendatur et ipsa cum eodem. Idem suo modo præstat et oratio.

Tertio, est præsidium universale contra omnia tentamenta, pericula et insidias hostium; murus et antemurale. Hinc a S. Chrysostomo, hom. V. de incomparabili natura Dei, homo orationi deditus comparatur arbori, quæ altissimas in terra radices fixit, ideoque frangi aut evelli a quibuscumque ventis nequit. Et I. I. de orando Deo, orationem assimilat basi et carinæ navis, quæ totam navim compaginat. Et I. II. sequente, nervis, quibus totum corpus coheret, currit, stat, vivit et compactum est, adeo ut: *Quemadmodum si incidas nervos, universam corporis harmoniam dissolves: ita si orationem sustuleris, animæ vires et actiones perdas*. Quare sicut Jacob luctans cum angelo, superari non potuit, donec nervus ejus incisus esset: quo inciso Jacob claudicare cepit; ideoque Israelitæ ex eo tempore nervum non comederunt, (Gen. XXXII.) ita insuperabiles erimus, quamdiu nervus orationis vigerit in nobis: eo inciso deficiemus. Caveamus igitur et nos nervum hunc absumere, caveamus amovere studium orationis. Audiamus eundem Chrysostomum paulo infra: *Si te ipsum, inquit, oratione destitueris, perinde feceris, ac si piscem ex aqua extraxeris; ut enim piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio*. Piscis in aqua fortis, extra aquam debilis est: ita sc. confessores pro fide Christi capti a tyrannis, fortes et invicti perstiterunt, quotquot jugi orationi sese dederunt; ceciderunt vero ii, qui orare neglexerunt, teste S. Cypriano (vel quisquis est auctor) tract. de duplici martyrio. «Novi ego, inquit, ac flevi quosdam magna animi fortitudine præditos, qui jam coronæ proximi defecerunt; et quem diu professi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in causa? Dimoverant oculos suos ab eo, qui solus robur

dat infirmis, intermiserunt orationem ac ceperunt ad humana praesidia respicere.

V. Exemplum sanctorum, qui orationis studio addictissimi fuerunt. Quorum princeps Christus, qui cum non indigeret oratione, in ea tam multoties pernoctavit. David etsi rex occupatus regis negotiis: *Septies in die laudem dixit Deo et media nocte surgebat ad confitendum Deo*, Ps. CXVIII. Daniel in aula regis ter in die statutis horis genua sua flexit et adoravit Deum, Dan. VI. Jacobus Alphæi tam assiduus in orando fuit, ut gerra ejus in modum camelorum, procumbendi assiduitate callum obdlexerint: Bartholomæus apostolus centies in die et centies in nocte flectere ad orandum consuevit genua sua; quod idem fecisse S. Martham scribit Petrus de Natalibus, et imitatus est Apollonius abbas, ut habetur in vitis pp. Marulo, l. II. c. 1. Cornelium centurionem Romanum, adeoque adhuc gentilem stata habuisse tempora ad orandum colligimus ex Actis apostolorum, c. X. Audi S. Chrysostomum ea de re loquentem ibi: «Cornelius, inquit, vitæ religiosæ sibi tempora constituit; non enim est vir pius, qui sibi stata orandi et bonis operibus vacandi tempora non præfigit.» Notate hoc verbum, auditores: «Non est vir pius, qui sibi stata orandi et bonis operibus vacandi tempora non præfigit.» Taceo alios novæ legis et utriusque sexus sanctos, qui ad miraculum et stuporem vacarunt orationi, quos mirari potius quam imitari possumus, ut qui dies noctesque continua precatione immoti stantes transegerunt, uti S. Antonius: et qui annos integros, uti Joannes abbas, qui sub quadam cavæ rupis fornice annos tres: et Sisinnius, qui in quodam lapideo monumento se occludens, per triennium semper rectus orasse dicitur, ut scribit Palladius, hist. LXI. et CIX. Quid recenseam stylitas, qui ad decem viginti et triginta annos steterunt in columnis?

De his utique Isaias, cap. VIII. in persona Christi loquitur ad nos: *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel*. Ut enim perspiceremus, quid possit homo cum Dei gratia, dedit Deus Ecclesie tam portentosos peccatores, in exemplum aliorum, qui pene nihil volunt facere et levissima etiam virtutum opera, qualis est oratio, respuunt. Videant igitur hi, quid possit natura eum Dei gratia, quæ nemini negatur. Ecce isti homines fuerunt similes nobis, eadem vestiti carne, et vigilarunt dies ac noctes cum Christo in oratione: Sic, nos cum illo non poterimus una hora vigilare?

Ergo ad arma, ad arma, auditores, quibus et terrena nobis subsidia quasi spolia comparemus, et una cælum expugnemus, quo demum obtenta victoria ibidem triumphemus.

CONCIO II.

CUR VELIT ROGARI DEUS.

- I. Ut per orationem disponamur ad accipiendum.
- II. Ut donum quod petimus mereamur.
- III. Ut mereamur plus accipere.
- IV. Ut hoc religionis actu Deum colamus.
- V. Ut familiares Deo fiamus.
- VI. Ut donâ Dei æstimemus pro dignitate.
- VII. Ut habeamus causam agnoscendi miseriam nostras.

THEMA.

Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.
Joan. XVI.

Pulchram questionem movet S. Basilius, de constit. monast. c. II. Cur voluerit Deus ab hominibus rogari et obsecrari. Tribus enim de causis homines rogamus, vel quia nesciunt nostram indigentiam, vel quia nos non amant, vel quia non pertinet ad ipsos nobis providere. Rogamus ergo eos primo, ut sciant miseriam et indigentiam nostram; secundo, ut nobis compatiantur; tertio, ut nostri curam gerant. Sed nihil horum urget, ut rogemus Deum. Ipse enim primo, melius novit, quam nos quibus indigemus. Unde Matth. VI. ait Dominus: *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt, etc. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum*. Deinde, Deus amat nos, uti pater filios; sicut etiam testatur Dominus vel in hodierno evangelio, dicens: *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos*. Denique, quia pater noster est, spectat ad eum providere nobis tamquam filiis. Cur ergo vult rogari? Ad hoc primo et generatim responderi potest, decretum esse a Deo dare nobis ea quæ necessaria et salutaria sunt, sed mediante oratione: quò modo etiam dispositum est ut mediante matrimonio humanum genus propagaretur, medioque semine et terræ subactione, panis homini pararetur, etc. Hujus vero decreti causas aliquot investigemus.

I. Secundum S. Augustinum in Matth. c. VI. Ut per orationem disponamur ad receptionem honorum, quæ postulamus. «Quia, inquit, ipsa orationis intentio cor nostrum serenat et purgat, capaciusque efficit ad excipienda munera, quæ spiritualiter nobis infundantur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem nobis vitalem, sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alicuius rerum temporalium cupiditate tenebrarum.» Ubi duabus similitudinibus insinuat rem explicat. Primo, solis, qui semper quidem lucet, et quantum est in ipso, semper est paratus communicare nobis lucem suam: sed nos non semper possumus recipere lucem

illam, quia scilicet nebula vel nubes tegit visum nostrum. Ita etiam Deus semper est paratus communicare nobis bona sua; sed nos sæpe incapaces sumus, quia scilicet non agnoscimus indigentiam nostram, et donorum Dei præstantiam; ideoque ob superbiam vel stultitiam nostram indigni sumus donis Dei. Oratio ergo dissipat nebulam istam, serenat et purgat cor, dum orans hoc ipso, quod orat, sese humiliat et inopem se agnoscit: *Oratio enim humiliat se penetrat nubes*, inquit Ecclesiasticus, c. XXXV.

Secundo, fontis, qui perpetuo quidem fluit, sed non implet vasculum, quia tu id clausum vel inversum, vel inclinatum tenes. Ita etiam Deus fons est honorum omnium, omnes implere cupiens, sed nos sæpe cor clausum habemus, vel adversum aut inclinatum. Clausum, cum bona, quibus egemus, non desideramus. Quis autem nobis ea donet, quæ non curamus nec appetimus? Tum demum pascit pullos suos avicula, cum illi aperto ore inhiant escæ et quo possunt modo eam flagitant. Inde Psal. LXXX. ait Dominus: *Dilata os tuum et implebo illud*. Aversum vel inclinatum cor habemus, cum terrenarum rerum cupiditate possidemur; quo etiam casu incapaces et indigni sumus Dei donis, qui quamdiu farina Egypti suppetit, non sapient nobis manna. Ergo per orationem dilatamus ora nostra versus Deum, et rationem ei appetitum atque indigentiam nostram, sicque impleri mereamur.

II. Secundum S. Hieronymum in id Jer. XXIX. *Orabitur me, et ego exaudiam vos*: ut sic donum, quod petimus, promereamur. Quis enim neget majoris dignitatis ac laudis esse frui bonis, propria industria partis, quam gratis datis? Non ita magni æstimant libros studiosi, quos ex parentum pecunia acceperunt, atque eos quos præmii loco ob doctrinæ suæ excellentiam. Hinc pueri Lacedæmoniarum non obtinere panem a parentibus, nisi quem jaculis dejecissent. Et nostri etiam parentes mandant sæpe filiis, utsi vestem novam velint, prius eam luorentur sua industria, labore, vel probitate. Debet certe pater filiis alimentum; sed quia fuorum est suffurari mel apibus, et ignavi hominis est alieno vesci labore, ideo merito urget, ut filii assuescant lucrari panem suum. Vult ergo Pater noster cælestis, ut cum merito honore et gaudio fruamur iis, quæ dare nobis vult; quod fit, si instanti et humili oratione ea petierimus. Hinc, opinor, dixit in hodierno evangelio: *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*; Magnum quidem gaudium tibi est, hostem devictum videre et spolia distribuere: sed si tu eum viceris bellica industria et fortitudine, tunc gaudium perfectum est. Quæ per orationem obtinemus, nostra ali-

qua paramus industria, et sic quasi jaculis quibusdam panem e cælo dejicimus.

Et licet non obtineamus id quod petimus, non tamen frustramur merito orationis et virtutum, quas in ea exercemus. Unde Clemens Alexandr. I. VII. Strom. ait: *Melius esse orare et non impetrare, quam accipere et non orare*.

III. Secundum S. Hieronymum, super cap. XXXVIII. Isa. ut mereamur plus accipere, quam petimus, vel quam Deus daturus esset, si non peteremus. Est enim Deus veluti fons semper scaturiens et effundens in creaturas bona sua. Hunc vero fontem largius fluere facimus, cum orationis impetum et pondus adhibemus: sicut aqua fontanæ quo magis premitur et constringitur, eo profluit vehementius. Cum ergo Deus cupiat dare pro dignitate sua affluenter, (Jacobi 1.) vult a nobis exorari et quasi vi quadam ad hoc urgeri. Quod etiam videre est in fœtibus animalium, agnellis et porcellis, aliisque, qui subinde matris uber ore premunt, pulsant et exagitant, ut lac copiosius emulgeant. Certè Deus recte petentibus solet dare plusquam petunt. Abraham petiit a Deo filium tantum, et accepit ab eo talem, ex cujus semine Christus natus est et benedictæ sunt omnes gentes, Genes. XXI. Isaac etiam deprecatus pro uxore sua meruit videre accipere gemellos, Gen. XXV. Jacob oravit Deum ut remitteret sibi filios suos undecim ex itinere Egyptiaco, et meruit videre etiam filium suum duodecimum, quem mortuum putarat, Gen. XLIII. Anna petiit filium, et accepit eum sanctissimum prophetam, Samuel, 1. Reg. 1. Tobias petiit reditum filii ex Media, et vidit redeuntem non modo salvum, sed etiam cum uxore divite et pharmaco cæcitatæ suæ, Tob. V. Iatro in cruce petiit a Christo sui memoriam tantum, et obtinet paradisum, Luc. XXIII. Mater S. Augustini Monica petiit a Deo, ut filium suum christianum catholicum videret antequam moreretur: *Cumulatius hoc mihi, inquit, ipsa ad filium, Deus meus præstitit, ut te etiam contempta felicitate terrena, servum ejus videam*, 1. IX. confess. c. X.

IV. Ut hoc religionis actu Deum colamus et ad ejus amorem magis inflammemur, secundum Chrysostomum, hom. XXX. in Genes. Debemus certe Deo cultum et amorem super omnia. Hunc verò ei reddimus in oratione, in qua exercemus fidem, spem, charitatem, humilitatem, timorem, reverentiam, etc. Confitemur enim Deum esse auctorem et datorem honorum omnium: confitemur eum esse patrem nostrum, ad quem recurrere in necessitate debeamus: confitemur eum posse ac velle mederi necessitatibus nostris; ideoque et speramus ab illo remedium. Deinde, in oratione blan-